



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1925**

II. De S. Iusto Carmen

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

A confessio suscepto christianae sacramento fidei protestetur. Pallium praeterea per latorem praesentium fraternitati tuae benignitatis studiis invitati direximus, quod videlicet tantum in sacrosanctis celebrandis mysteriis utendi licentiam imperavimus; concedentes etiam tibi ordinationes episcoporum exigente oportunitate Domini praevenerunt misericordia celebrare, ita ut Christi evangelium plurimorum annuntiatione in omnibus gentibus quae necdum conversae sunt dilatetur. (1)

S. Iusti  
praeclara  
merita.

7. Ex his et ceteris quae eadem epistola prosequitur beatissimi papae testimoniis magnifice pensandum est quanti meriti quantaque sanctitatis hunc beatissimum Iustum tam sanctus et iustus ecclesiarum apex aestimaverit quod tam devote tamque vigilanter pro Christi evangelio elaboraverit, quod magno praemio supernorum fastigiorum delectabilem cursum eius dominus illustraverit, dum creditorum sibi talentorum fidelissimae negotiationis officiis uberem fructum multipliciter sibi praeparaverit, quod meritis suae laudabilis patientiae et usque in finem perseverantiae gentis huius salvatio propinata sit, quod pro iustitia exilium passus sit et regem persecutorem ad indubitatae fidei credulitatem sua eruditione et longanimitate perduxerit. Quem post multos agones et multa cum feris gentibus certamina venerabilis hystorographus Anglorum Beda triumphatum mittit ad

7. — <sup>1</sup> om. BEDA. — <sup>2</sup> hic des. 2.

(1) Lege quae dicta sunt in Comm. praev. num. 6, ad cod. 3. — (2) *H. E.*, II, 18; II, 3. Comm. praev. num. 5. — (3) *Reg.* VIII, 29, HARTMANN,

caelestia. « Beatus <sup>1</sup>, » inquit, « Iustus archiepiscopus ad caelestia regna sublatus est quarto iduum novembrium die, » positumque est corpus eius in monasterio apostolorum Petri et Pauli (2). Sed inter haec si quis quaerat signa quibus huius sancti declarentur merita, audiat irrefragabilia summi Gregorii testimonia ad sanctum patriarcham Eulogium scripta (3). « Tantis, » inquit, « miraculis vel ipse Augustinus vel ii qui cum eo missi sunt in gente anglica choruscant ut apostolorum virtutes in signis quae exhibent imitari videantur. » Inter praecipuos ergo qui cum ipso vel ad ipsum beatum Augustinum missi sunt constat beatum Iustum fuisse praeclearum, quem sicut meritis ita miraculis credimus choruscum (4). Nec illud decet silentio dissimulare, quod in proxima ipsius sicut et ceterorum patrum translatione aperto eius sarcophago mira omnes astantes repleti sunt fragrantiae suavitate. Verumtamen ubi est apostolica vita, nil perdunt merita, etsi desint apostolica signa <sup>2</sup>.

VITA

8. Huius beatissimi sancti vitam, iustitiam, aequitatem et mansuetudinem totis viribus imitemur, prava et illicita opera vitemus, ut suis meritis omni <sup>1</sup> peccati macula a nobis eradicata, percipere cum eo mereamur aeternae vitae praemia, ipso auxiliante qui cum Deo patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

Adhortatio.

8. — <sup>1</sup> omnis 1, 3.

t. II, p. 30. — (4) Quando litterae Gregorii datae fuerunt, Iustus in Britanniam nondum advenerat. Comm. praev. num. 6.

## II. DE S. IUSTO CARMEN

E codice Lambethano 159. Cf. Comm. praev. num. 7.

C

F

### Sanctus Iustus quartus archiepiscopus <sup>1</sup>.

Nomine <sup>2</sup> re Iustus Mellito protinus illi  
succedit dignus presul honore pari.  
Iste Rofensis erat presul, sed ovile tueri  
assiduus pastor sparsit ubique fidem.  
Nomine Romanum quemdam dedit ipse Ro-  
[fensi  
ecclesie, cuius dogmata sacra nitent;  
nec non Paulinum commiserat Eboracensi  
Edwinus rex a quoque renatus erat.  
Hic nam <sup>3</sup> Paulinus pater ungitur a patre  
[Iusto <sup>4</sup>,  
ecclesia Christi tempore sub Domini  
anno sexcentesimo supra vicesimo quoque  
[sexto

cum fuit predicta fine potita suo.  
Hic rex Edwynus Westsaxonibus dominatur <sup>5</sup>,  
tuncque <sup>6</sup> regens coluit ydola gensque sua.  
Edbaldi soror est Edwyno tunc copulata <sup>7</sup>,  
cum qua Paulinus transit eamque regit.  
Rex est conversus fidei per sacra lavaera <sup>8</sup>  
per te, Pauline, presul opime Dei.  
Iste pater Iustus tamen sedit tribus annis <sup>9</sup>;  
evectus Christo nunc micat arce poli.  
Iuste, tuis meritis nostros extingue reatus  
atque tuis famulis pande salutis opem.  
Amen <sup>10</sup>.

<sup>1</sup> Lemma in margine. — <sup>2</sup> et add. dein del. cod. — <sup>3</sup> supra lin. — <sup>4</sup> sanctus Paulinus episcopus ungitur a sancto Iusto archiepiscopo in marg. — <sup>5</sup> Edwynus rex dominatur Westsaxonibus in marg. — <sup>6</sup> tunc estque cod. — <sup>7</sup> nota bene in marg.

— <sup>8</sup> rex Edwynus conversus ad fidem per Paulinum episcopum in marg. — <sup>9</sup> sanctus Iustus sedit annis tribus, sepelitur cum patribus suis in marg. — <sup>10</sup> finis vite sancti Iusti Cant. archiepiscopi quarti add. cod.